



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo etiam pro martyribus leges tulerit, & bonis ecclesiasticis. Cap.
XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

liberati. Eos etiam, qui propter constantem pietatis confessionem essent de militari dignitate gradu deiectione, benignitas imperatoris ex ea contumelia rursus euocavit: libera optione data, vel ædes recipiendi, & prioribus honoris ornamentis potiundi cum dignitate, vel vita tranquilla contentis, ætatem ab omnibus ministeriis vacuam degendi: Eosque item qui fuissent ad muliebria officia seruiliter obeunda, quo dedecore & ignominia afficerentur condemnati, pari ratione atque cæteros liberavit.

*Quomodo etiam pro martyribus leges tulerit,
& bonis ecclesiasticis.*

CAP. XXI.

ATque ista fuere de iis hominibus, qui hæc incommoda sustinuisent, imperatoris edicto sancita. De facultatibus autem piorum, qui in persecutione mortem obiissent, definite etiam præscripsit imperatoris lex. Nam sanctorum Dei Martyrum fortunas, qui in fidei confessione supremum vitæ diem egissent, a cognatis possideri præcepit. Quod si nullus ipsis superesset sanguinis communiõne coniunctus, vt ecclesiæ eorum hæreditates adirent. Porro autem, quæ bona Christianorum antea in ærarium relata, & ex eo, aut venditione, aut gratuito ad aliorum usum abalienata fuissent, quæve in illo ipso adhuc reperta essent, Dominis denuo debere reddi munificum imperatoris edictum in mandatis dedit. Atque benignæ imperatoris leges passim diuulgatæ, non solum ecclesiæ dei & populo Christiano tot tantaque beneficia præstiterunt. Verum etiam infidelibus populis, & cunctis gentibus, alia præterea multitudine prope infinita, imperatoris magnificentia elargita est.

Quantopere populorum animos recreauerit.

CAP. XXII.

VNde omnes, qui in nostris regionibus auditione solum accepissent ea, quæ iam antè fuerant in altera parte imperii Romani gesta, eosque qui istis affecti fuissent beneficiis, beatos putarent optarentque, vt ipsi tandè paribus potirentur, cū eadè ipsis etiam ante ocu-